

Secutus est Thomas, cuius aetate idolomaniae tanquam propagatis infinitis
 examinibus auctae sunt. Is omnia sub magis accuratam considerationem de-
 duxit: Reiicit praesentiam geminae substantiae, negat etiam panem vel in
 nihilum vel in materiam primam redigi, sed ponit primum quasdam hypothe-
 5 ses, vt sese praemuniat: Ait non esse credibile substantiam Christi humanam,
 quae in coelo sit, descendere et cum pane vniri nec esse ibi praesens corpus
 vt in vno aut in diuersis locis, sed specialem vt ipse loquitur poni modum
 eumque nominari posse transubstantiationem, quam dicit esse miraculosam
 conuersionem vnius substantie in alteram, perinde sicut aer in ignem verti-
 10 tur.¹⁵³ Sed profecto sicut in Thoma fuit ingenium et doctrina excellens, cum
 in hac causa profiteretur se et retinere Christi verum corpus cum substantiali-
 bus suis proprietatibus illudque necessario in vno loco coeli esse et ex-[46:]
 presse reliceret vbiquitatem, vt nunc loquuntur, ea ire in contrariam partem
 pro sua consuetudine sibiipsi obiecit argumenta, quae refutare nulla ratione
 15 potuit atque hoc non solum, qui nunc intuentur et intelligunt ipsius scripta,
 agnoscere possunt, sed ipsi etiam posteriores scholastici iudicarunt. Secutus
 igitur Iohannes Scotus monachus, vir ingenij sophisticatedi et maxime pugnacis,
 modum Thomae tanquam irrationabilem damnauit et suum proposuit, quem
 quidem posteriores fere omnes laudarunt: Ait ne quidem per potentiam diui-
 20 nam corpori Christi adimi posse necessarias proprietates corporis videlicet
 dimensiones et locationem, sicut scripserat Thomas, sed vt ipse affingit, mi-
 raculum fieri in loco vel in spacio continenti. Nam per omnipotentiam Dei
 substantiam panis redigi in nihilum, corpus autem Christi accidentibus panis
 vestiri, esse totum in tota hostia, vt nominant, et in qualibet parte totum, ita
 25 vt miraculose paruam spacium magnum corpus contineat.¹⁵⁴ Et in explicatio-
 ne huius modi sunt duo ex ipsius sectatoribus, quorum alter dixit totum mun-
 dum in ista extensione, qua nunc est, per potentiam diuinam in testa oui, alter
 etiam in foramine acus contineri posse. De duratione ferme consenserunt
 omnes, tantisper esse corpus Christi, donec remanent species panis. Deinde
 30 addunt quaestiones, quae merito omnium piorum aures offendunt. Quid
 sumat mus rodens panem consecratum et similes. Et quorundam tanta est
 impudentia, vt audeant dicere: Os muris non esse immundius ore peccatoris,
 sine inquinamento igitur etiam a mure capi. Sed reuera expauescere necesse
 est pias mentes ad tantam impietatem. Quae tamen recitauimus. Et multo
 35 plura, a quibus animus abhorret, in libris scholasticorum tradita extant eaque
 sunt basis missae pontificiae, sicut aetate Thomae stabilita transubstantiatio-
 ne instituta est theatrica circumgestatio panis, qui iussus est adorari ab vni-
 uersa ecclesia. In Daniele de Antiocho, qui typus est Antichristi, scribitur,
 Deum Mao-[47:]zim colet auro et argento.¹⁵⁵ Perinde autem vt Antiochus

¹⁵³ Vgl. Thomas von Aquin, *Summa Theologiae* III, q. 75 a.1 arg. 1.

¹⁵⁴ Zur mittelalterlichen Annihilationstheorie vgl. Erwin Iserloh, Art. Abendmahl III/2, in: TRE 1 (1977), 89–106. Hier bes. 93f.

¹⁵⁵ Vgl. Dan 11,38f.